Primus frigidorum, quæ sicca sint, siue humida: magis autem incrassant frigida, & sicca, modò sint crassarum partium, vt glutinantia omnia austera, & acerba.

Secundus est calidorum crassarum partium, quæ minùs proprìè incrassant cùm humor priùs fundatur, & tenuetur à calore, quàm tenuium partium resolutione spissior fiat a calore. Ideo etiam frigido existente humore, non admodum tutum iudico calidioribus vti, nisi adstringendi vim habeant, vel frigidis retundantur.

Tertius est eorum, quæ vi emplastica, & glutinositate adhærent, vnde peti debent incrassantium materia ex tabulis adstringentium, glutinantium, epuloticorum, emplasticorum, arteriacorum, expectorantium bilem, sistentium fluxus, repellentium, & soporiferorum.

Incidentia.

INcidentia conueniunt facultate cum attenuantibus cum lentor, & crassities sese mutuo comitentur, ac eadem ratione partes crassæ, & glutinosæ diuiduntur, atque abscedunt à medicamento calido, partiumque tenuium sese insinuante in crassi, viscidique humoris substantiam. Differunt tamen incidens, & attenuans facultatis ratione; nam vt multis diuisionibus, quod priùs

hæ.

hærebat friabile euadit, dicitur incidi; idē vt sub eadem facultate maiorem occupet locum per diuisionem, dicitur attenuari. Vnde licèt lentor, & crassities differant, cùm non omnia crassa sint viscida: vix tamen differunt generationis modo, & remedio, nisi quod viscida non solùm attenuari, & incidi, sed detergi quoq; postulant, quod in crassis minime impactis humoribus non est necessarium. Constat ex dictis, attenuantia esse minùs calida incidentibus, cùm agrius diuidatur glutinosum, quam simpliciter crassum, deinde dulcibus, insipidis, adstringentibus non esse vim incidendi.

Detergentia, siue Abstergentia, seu

Ρυπτικα.

DEtergentia, seu abstergentia sunt quæcunque attenuandi, & siccandi vim habent, glutinositatis, & adstrictionis expertia, aliqua tamen partiam crassitie prædita sunt, cuius beneficio aliquam moram trahunt, quodque adhæret, aut impactum est, melius abstergunt, vt de exobstruentibus dictum est. Detergunt præcipuè amara, nitrosa, & acria, omninò, quæ aliquam habent partium crassitiem, estque eorum vsus ad obstructiones adimendas, de quibus